



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 937. An & qualiter in hujusmodi Ecclesiis constitui nequeat sicut vicarius regularis sine socio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

obediens, etsi sit ex monasterio exempto, & sic absolute non subiectus Episcopo, eidem subiectus, respective nimirum in iis rebus, quæ ad curam Ecclesiæ & parochianorum & Sacramentorum administrationem spectant v. g. an Fabrica Ecclesiæ & domus parochialis conservetur, utrum nomina Baptizatorum & matrimonio junctorum in libris ad hoc deputatis describantur &c. Ita ut in his ab eo visitari, corrigi & puniri possit, ut constat ex Bulla Leonis X. edita in Conc. Lateran. quæ habetur apud Guarant. in sum. Bullar. V. privilegia Regular. fol. 509. & ex Trid. sess. 25. c. 11. de regul. juxta declarat. S. Cong. Greg. XI. quæ incipit: *Immutabili*. edita anno 1622. & ita Laym. in 99. de elect. prel. g. 208. resp. 2. Pirh. n. 5.

3. Resp. tertio: in Ecclesia tamen monasterio unita jure plenissimo sive quoad omnia, ita ut etiam populus sit exemptus ab Episcopi jurisdictione, Episcopus Diocesanus nihil habet in tali loco jurisdictionis (intellige quoad institutionem, destitutionem, visitationem, correctionem, ut Wiestn. h. t. n. 10. citatis Abb. in C. cum & plantare. n. 5. Barbof. in C. quoniam de privi. n. 2. Laym. l. c.) Sed tota ad Abbatem pertinet, isque ibi jurisdictionem quasi Episcopalem exercet, estque loco Episcopi seu Ordinarii Innoc. in C. 1. h. t. Laym. l. c. resp. 1. Pirh. n. 4. potestque is solus Vicarium præficere etiam ad nutum amovibilem, cujus postremi ratio est, quod in hujusmodi beneficiis curatis non sit propria institutio, sed potius provisio aliqua administratoria, cum titulo semper apud monasterium manente, ita ut nunquam vacare censeantur, ipseque Prælati sit habitualiter rector illius Reiffent. n. 8. Garc. de benef. p. 11. c. 2. à n. 3. Barb. l. c. Gonz. ad reg. 8. Canc. gl. 5. §. 3. n. 11. & 14. Wiestn. h. t. ubi etiam quod proinde in tali provisione non sit locus investituræ. Illud tamen notandum videtur, quod tamen si prælati talem suum Obedientiarum pro libitu suo sine scitu Episcopi amovere possit, non posse tamen eundem constituere, nisi prius ab Episcopo approbatum ut Reiffent. h. t. n. 8. quamvis & hanc approbationem Wiestn. l. c. n. 10. attribuat Prælato Monasterii, cui Ecclesia plenissimo jure unita etiam privative ad Episcopum. Porro dum hæc ipsa astruit Reiffent. n. 8. de Ecclesia unita pleno jure citatis pro hoc Barbof. cit. Alleg. 72. n. 189. & aliis Idem videtur intelligere de Ecclesia pleno jure seu quoad spiritualia & temporalia simul unita seu incorporata, quod Pirh. & alii de Ecclesia plenissimo jure unita intelligunt. Vide de his plura apud me in foro beneficiarum ubi de unione beneficiorum.

Quest. 937. An & qualiter in hujusmodi Ecclesiis constitui nequeat rector aut Vicarius regularis sine socio.

1. Resp. primo: dum prælati in Ecclesiis unitis suo monasterio constituere possunt Rectorem vel Vicarium regularem, illum ibi (intellige etiam si jure pleno vel etiam plenissimo sint unitæ) solum sine socio statuere vel relinquere non debent aut possunt, pro ut constat ex c. 3. & 4. h. t. item ex c. 2. de statu monachor. in quo refertur desuper decretum in Concilio lateran. quod etsi loquatur de Ecclesiis parochialibus, ne in iis monachi soli sine quibusdam sociis seu fratribus commorentur, comprehenduntur tamen & Prioratus spectantes ad monasterium, cum eadem à Concilio ratio expressa in his quoque locum habeat, & cum Abb. in c. 3. h. t. n. 1. Pirh. h. t. n. 10. dum leges prohibitorias & pœnales, etsi sint stricti juris & interpretationis, pro identitate

tamen rationis, dum ex illa colligi potest, intentionem legislatoris fuisse comprehendere & casum non expressum, ad hunc quoque sunt extendenda. Unde tam in dictis prioratibus quam aliis parochiis earum Rectores monachos commorari solos non posse, etiam de privilegio sedis apostolica, nisi in eo fiat mentio de condicito consilio lateranensi, colligunt Abb. Cardin. Butr. Imol. Host. Anan. & alii. Apud Barbof. in c. 3. h. t. n. 1. cum, ut Idem n. 2. cum Gl. & pluribus aliis à se citatis fuisse declarat, speciale privilegium contra jus commune, eidem non deroget, nisi illius fiat mentio. Mandat proinde Pontifex in c. 3. h. t. Episcopo. ut Abbates & priores, præmissa mentione, per Ecclesiasticam censuram compellant, ut monachos sine sociis versantes in dictis Ecclesiis ad claustra revocent iisdemque secularem deservire curent; vel si id nolint, alios monachos socios illis assignent, ita ut utrumque relinquatur in Prælati electione; & si in eo sint negligentes, Episcopus supplendo hanc eorum negligentiam per se ipsum revocare potest, eos solitarios regulares, & secularem Vicarium substituet. Sed neque inter Ecclesias distinguendum videtur ut volunt anchoran. in c. 5. de stat. monach. & Joand. in c. fin. h. t. n. 1. ita ut in Ecclesiis pleno jure subiectis monasteriis, constituto Vicario religioso ad nutum amovibili, socius adjungendus sit: in Ecclesiis verò non ita subiectis monasterio institutus Vicarius regularis sine socio sui Ordinis relinquere possit. Neque ita ut monachi sine socio sui Ordinis illis præfici nequeant, Canonicis verò regularibus non semper necessarii, sed si commode possit adjungendus sit socius. Quamquam hanc distinctionem secundam Glossæ in c. 5. de statu monach. V. religio & Abb. ibidem n. 9. priori distinctioni præferat Sanch. L. 6. mor. c. 6. n. 39. in fine. apud Wiestn. h. t. n. 12. cum alii textus loquantur indistincte.

2. Resp. secundò monachis ad parochiales Ecclesias (intellige se junctas à monasterio) regendas expositis non solum unicum socium (prout de canonicis regularibus disponit cit. c. 5. de statu monach.) sed plures adjungendos esse socios, clare exprimitur in c. 3. & 4. h. t. quin & Pius V. constituit, sua, quæ incipit: *ad exequendam* exigat, ut religiosi mendicantes & monachi, dum in parochiis constituuntur, habitent cum quatuor saltem sociis; quod tamen postea immutatum est; & decretum unum sufficere à Gregor. XIII. viva voce & à S. congreg. declaratum apud Guarantam in sum. Bullar. V. Vicarius perpetuus. fol. 638. Garc. cit. L. 11. c. 2. n. 12. Tambur. de jure Abb. Tom. 3. c. 9. q. 3. num. 3. Pirh. h. t. n. 12. in fine.

Quest. 938. An, quæ, qualis & quanta assignanda Vicariis Ecclesiarum unitarum seu incorporatarum monasterio, capitulo, vel universitati portio.

1. Resp. primò de rebus, fructibus, emolumentis Ecclesiæ unitæ Vicario perpetuo assignanda & præstanda portio, quæ ad sustentationem illius honestam sufficiat, consideratis circumstantiis personæ illius, Ecclesiæ reddituum, consuetudine jurium Episcopaliū solvendorum taxanda prout sumitur ex Trid. sess. 6. de reform. c. 2. & sess. 7. c. 5. & 7. c. 3. h. t. pertinente ad iudicium & arbitrium solius Episcopi, quam quantitas sufficiat, ut dicitur c. 2. de præb. & Trident. cit. sess. 7. c. 7. à quo Episcopi iudicio non datur appellatio suspensiva; cum venter non patiatur dilationem, bene tamen devolutiva. Pignat. Tom. 7. consulti. 127.

3. Resp.